

## AUSONE

## CUPIDO CRUCIATUR (103 vers)

CC\_1                   AUSONIUS GREGORIO FILIO SALUTEM.  
                          [oratio soluta]

  CUPIDO CRUCIATUR

CC\_2    v.1    Aeris in campis, memorat quos musa Maronis,  
          2    myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,  
          3    orgia ducebant heroides et sua quaeque,  
          4    ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant,  
          5    errantes silva in magna et sub luce maligna  
          6    inter harundineasque comas gravidumque papaver  
          7    et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos.  
          8    Quorum per ripas nebuloso lumine marcent  
          9    fleti, olim regum et puerorum nomina, flores  
10       10    mirator Narcissus et Oeбалides Hyacinthus  
11       11    et Crocus auricomans et murice pictus Adonis  
12       12    et tragico scriptus gemitu Salaminius Aeus ;  
13       13    omnia quae lacrimis et amoribus anxia maestis  
14       14    exercent memores obita jam morte dolores :  
15       15    rursus in amissum revocant heroidas aevum.  
16       16    Fulmineos Semele decepta puerpera partus  
17       17    deflet et ambustas lacerans per inania cunas  
18       18    ventilat ignavum simulati fulguris ignem.  
19       19    Irrita dona querens, sexu gavisu virili,  
20       20    maeret in antiquam Caenis revocata figuram.  
21       21    Vulnera siccat adhuc Procris Cephalique cruentam  
22       22    diliget et percussa manum. Fert fumida testae  
23       23    lumina Sestiaca praeceps de turre puella.  
24       24    Et de nimbo saltum Leucate minatur  
25       25    [macula Lesbiacis Sappho peritura sagittis]  
26       26    Harmoniae cultus Eriphyle maesta recusat,  
27       27    infelix nato nec fortunata marito.  
28       28    Tota quoque aeriae Minoia fabula Cretae  
29       29    picturarum instar tenui sub imagine vibrat ;  
30       30    Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri,  
31       31    Licia fert glomerata manu deserta Ariadne.  
32       32    Respicit abjectas desperans Phaedra tabellas.  
33       33    Haec laqueum gerit, haec vanae simulacra coronae :  
34       34    Daedaliae pudet hanc latebras subiisse juvencae.  
35       35    Praereptas queritur per inania gaudia noctes  
36       36    Laudamia duas, vivi functique mariti.  
37       37    Parte truces alia strictis mucronibus omnes  
38       38    et Thisbe et Canace et Sidonis horret Elissa :  
39       39    Conjugis haec, haec patris et haec gerit hospitis ensem.  
40       40    Errat et ipsa, olim qualis per Latmia saxa  
41       41    Endymioneos solita affectare sopores,  
42       42    cum face et astrigero diademate Luna bicornis.  
43       43    Centum aliae veterum recolentes vulnera amorum

44       dulcibus et maestis refovent tormenta querellis.  
 45       Quas inter medias furvae caliginis umbram  
 46       dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.  
 47       Agnovere omnes puerum memorique recurso  
 48       communem sensere reum, quamquam umida circum  
 49       nubila et auratis fulgentia cingula bullis  
 50       et pharetram et rutilae fuscarent lampados ignem.  
 51       agnoscunt tamen et vanum vibrare vigorem  
 52       occipiunt hostemque unum loca non sua nactum,  
 53       cum pigros ageret densa sub nocte volatus,  
 54       facta nube premunt. Trepidantem et cassa parantem  
 55       suffugia in coetum mediae traxere catervae.  
 56       Eligitur maesto myrtus notissima luco,  
 57       invidiosa deum poenis. Cruciaverat illic  
 58       spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin,  
 59       Hujus in excelso suspensum stipite Amorem  
 60       devinctum post terga manus substrictaque plantis  
 61       vincula maerentem nullo moderamine poenae  
 62       adficiunt. Reus est sine crimine, iudice nullo  
 63       accusatur Amor. Se quisque absolvere gestit,  
 64       transferat ut proprias aliena in crimina culpas.  
 65       Cunctae exprobrantes tolerati insignia leti  
 66       expediunt : haec arma putant, haec ultio dulcis,  
 67       ut, quo quaeque perit, studeat punire dolore.  
 68       Haec laqueum tenet, haec speciem mucronis inanem  
 69       ingerit, illa cavos amnes rupemque fragosam  
 70       insanique metum pelagi et sine fluctibus aequor.  
 71       Nonnullae flammis quatiunt trepidaeque minantur  
 72       stridentes nullo igne faces. Rescindit adultum  
 73       Myrrha uterum lacrimis lucentibus inque paventem  
 74       gemmea fletiferi jaculatur sucina trunci.  
 75       Quaedam ignoscentum specie ludibria tantum  
 76       sola volunt, stilus ut tenuis sub acumine puncti  
 77       eliciat tenerum, de quo rosa nata, cruorem  
 78       aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.  
 79       Ipsa etiam simili genetrix obnoxia culpae  
 80       alma Venus tantos penetrat secreta tumultus.  
 81       Nec circumvento properans suffragia nato  
 82       terrorem ingeminat stimulisque accendit amaris  
 83       ancipites furias natiqque in crimina confert  
 84       dedecus ipsa suum, quod vincula caeca mariti  
 85       deprenso Mavorte tulit, quod pube pudenda  
 86       Hellespontiaci ridetur forma Priapi,  
 87       quod crudelis Eryx, quod semivir Hermaphroditus.  
 88       Nec satis in verbis : roseo Venus aurea sermo  
 89       maerentem pulsat puerum et graviora paventem.  
 90       Olli purpureum mulcato corpore rorem  
 91       sutilis expressit crebro rosa verbere, quae jam  
 92       tincta prius traxit rutilum magis ignea fucum.  
 93       Inde truces cecidere minae vindictaque major  
 94       crimine visa suo, Venerem factura nocentem.  
 95       Ipsae intercedunt heroides et sua quaeque  
 96       funera crudeli malunt adscribere fato.  
 97       Tum grates pia mater agit cessisse dolentes  
 98       et condonatas puero dimittere culpas.  
 99       Talia nocturnis olim simulacra figuris  
 100       exercent trepidam casso terrore quietem.  
 101       Quae postquam multa perpessus nocte Cupido

102      effugit, pulsa tandem caligine somni  
103      evolat ad superos portaque evadit eburna.